

CONCIO IX.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Cur noctibus fere oravit Dominus? — II. Cur exiit in montem? — III. Cur elegit duodecim? — IV. Quis ritus electionis? — V. Cur vocavit eos apostolos?

THEMA.

Venerant ut audirent eum et sanarentur a languori bus suis. Luc. VI.

Jure meritoque assurgimus, auditores, et stamus in Ecclesia, cum evangelium nobis prælegitur. Primo quidem, quoniam ipse Dominus in hodierno evangelio concionem ad populum habens: *Stetit in loco campestri, ut ait S. Lucas, et cum eo multitudine copiosa plebis ab omni Iudea, etc. metropoli ejus Jerosolyma, neconon a maritimis regionibus idolis servientibus, Tyro et Sidone; utique et ipsa stans concionante Domino.*

Deinde, *Judicum cap. III. legimus, regem Eglon gentilem cum locuturus iMi Aod dixisset: Verbum Dei habeo ad te, o rex, illico de throno surrexisse, at stans audiret illud; tametsi rex, isque obesus et ventricosus, coram alienæ gentis homine, servo et juvene.*

Denique, quia audimus Dei verbum, ut virtute ejus sanemur a languoribus animæ nostræ. Jure igitur stamus et quidem aperto capite, ut attento animo Dei jussa percipiamus et præcepta exequamur, quasi dicentes: *Loquere Domine, quia audiit servus tuus. Hoc ergo nunc agamus, ut acta hodierni evangelii attente audiamus.*

I. Cur noctibus fere orabat Dominus? Resp. primo, quia dies in docendis et juvandis hominibus et peragrandis castellis ac civitatibus consumere solebat.

Dies ergo hominum curæ, noctes quieti et contemplationi impedit, docens interim non tempus universum bene et utiliter expendere et omnia suo tempore agere, ne qua ejus particula sine fructu nobis elabatur: sic obssessi cives de die pugnant, de nocte restaurant muros seque munient et includunt.

Secundo, quia nox ad orandum commodior: « Purior est anima (inquit S. Chrysostomus), tempore noctis, ipsæque tenebrae et silentium possunt ad compunctionem producere. » Purior autem est anima nocte arans non solum a vana gloria, quam Dominus, Matth. VI. vitari oratione jubet, cuin in cubiculo vult orandum; sed etiam a distractione et sensuum evagatione, qui interdiu expatiantur, noctu vero conclusi et collecti sunt.

Magnum autem orationis defectum esse mentis evagationem, docet nos Eusebius, apud Theodoretum, in historia ss. patrum, cap. IV. « Cum (inquit), divinus Ammianus legisset locum evan-gelicum, sciscitaretur autem interpretationem, jussit magnus Eusebius, ut repeteret lectionem. Cum is autem dixisset: *Illis qui arant forte delectatus, minime exaudis;* : suis deinceps oculis legem tulit, ut neque campum illum unquam contemplarentur, neque cœlesti pulchritudine et chori astrorum aspectu fruerentur, sed angustissima utens semita, cuius mensuram aiunt fuisse unius palmi ferenti ad oratorium: extra eam deinceps egredi non est passus. Dicunt autem eum plusquam quadraginta annis vixisse post hanc legem. Quin et cum lumbos zona ferrea alligasset, et gravissimum collare collo imposuisset, alio ferro conjunxit zonam collari, quod erat collo impositum, ut hoc modo inclinatus cogeretur assidue in terram despicer. » Has ipse de se exegit pœnas neglectæ auditionis evangelii.

Tertio, quia oratio vigiliæ, juncta duplex meritum habet, dum aliis dormientibus, somnum oranti adimit. Voluit nimirum Dominus velut bonus pastor vigilare super gregem; et dum ille sibi et sonno plerunque malis operibus (qua noctu frequentius, quam interdiu perpetrantur) vacat, Deum pro illo exorare et placare. Sic Job dum ejus filii convivia celebrarent, consurgens diluculo offerebat holocausta pro illis, dicens: *Ne forte peccaverint filii mei, etc. Job I.* Commendat ergo hac sua oratione Dominus, et instituit quodam modo vigilias olim a primis Christianis, et nunc a religiosis et canonicis in cantu et oratione celebrat solitas. Damnat vero vicissim vigilias mundi et diaboli, quibus totæ noctes impenduntur aleis, poculis, tumultibus, fidibus per urbium plateas deductis, furtis, latrociniis, etc. Quæ quidem adhuc sedulo vident, cum illæ pene desierint.

II. Cur in montem exiit orare? Resp. primo, quia legis novæ perfectionem ibi tradere instituerat; quomodo etiam Moyses legem in monte sibi traditam accepit. Venerabilis Beda inquit: *Mons altitudo est justitiae, qua instituendi erant apostoli. Voluit ergo Dominus ut apostoli christiani gentes alias tantum excellerent, quantum extat mons supra valles.*

Secundo, ut doceret formam orationis, quæ est elevatio mentis ad Deum, et recessum ab hominum consortio requirit, ut attenta et devota esse queat. Sane Moyses cum Deo in monte constitutus intravit in nubem, Exod. XIX. at infra inter populum consistens, non potuit intrare in tabernaculum nube opertum, Exod. XL. quia nimi-

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

261

rum in monte, loco ab hominibus remoto, facilis est contemplationis locus: sed non ita in plebe et mundi tumultu.

Tertio, ut doceret nos fugere subinde mundi negotia et tumultus, ac recipere nos in solitudinem cordis saltem; vel locum aliquem solitarium, ut cum Deo familiarius agamus, errata nostra multiplicita intropisciamus et defleamus, mentemque a curis aliis avocemus. Sane hoc faciendum videtur iis imprimis qui a peccatis emergere vitamque prius dissolute actam serio emendare volunt, ut videlicet ad tempus saltem se recipient ad locum solitarium, ubi in piis meditationibus et exercitiis veterem vitiorum pellem exuant et novam virtutem induant. Præbuit hujus rei immortale exemplum Carol. V. imperator, qui expendens quam difficile esset inter mundi strepitum et aulae imprimis atque imperii discrimina immaculatum se custodire, abdicatis omnibus regnis suis in solitarium monasterii locum se recepit, ubi liber a curis et turbis totus sibi et Deo vacaret, atque ad instantem mortem vitamque beatam se compararet, ut reipso præstitit, præstitutique usque ad vitæ finem. Quocirca Franciscus Borgia, olim sub eo dux Gandia, in ejus funere rogatus, ut oratione funebri illi parentaret, hoc thema proposuit Caroloque adop-tavit: *Elongavi fugiens et mansi in solitudine, ostendens quam pie et sapienter egisset qui mundum prius reliquisset, quam mundus ipsum; quod propediem futurum erat. Novum hoc et orbi nostro sæculo inauditum fuit tanti viri exemplum. Major fuit Carolus in sua eremo, quam imperio, quia major mundo æque ac seipso: ita P. Sachinus, tom. II. annal. societatis Jesu, ad annum Domini 1558.*

Caroli avi sui sensa animi secutus est Philippus III. Hispaniæ rex, moriens, anno Domini 1621. licet enim vitam juste, innocentem et pie traduxisset, adeo ut hoc ob firmatum haberet, malle se omnibus regnis privari, quam scienter Deum vel venialiter offendere; tamen in mortis agone penitus rationem regni administrati Deo mox reddendam considerans et expavescens, in has voces et vota erupt: « Utinam nunquam fuissem rex, utinam annos quos in regno egi, exegisset privatus in eremo! Utinam vitam solitariam cum Deo duxisse in Thebaide! Quam nunc securius morerer! Quam fidentius ad Dei tribunal pergerem! » Ita habet ejus mors typis vulgata, et testantur quot ei interfuerere.

Ita demum Jacob subinde in agrum egredi solitus est ad meditandum (Septuaginta inter-pretes vertunt: Ad se exercendum), meditando scilicet et orando, Gen. XXIV.

III. Cur duodecim apostolos elegit? Resp. duas potissimum causas insinuari a Sancto Marco. Prima est, ut mitteret eos ad prædicandum. Quemadmodum enim ex duodecim patriarchis, filiis Jacob, totus Judaicus populus carnaliter propagatus est: ita voluit Dominus, ut totus populus christianus spiritualiter ex duodecim apostolis propagaretur: venerat enim Dominus ut carnem in spiritum commutaret.

Secundo, ut esset cum illo, inquit Marcus, hoc est, ut essent testes actorum, et dictorum vita, mortis et resurrectionis ejus; itaque omnia ista sedulo observarent. Unde ait: *Quod dico vobis in tenebris dicitur in lumine: et quod in aure auditis, prædictare super tecta, Matth. X. et Actor. I. Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Iudea et Samaria et usque ad ultimum terræ.*

Magna dignitas apostolorum in utroque munere, præconum scilicet et testimoniis. Quos proinde Deus voluit præfiguravit tam in viris illis duodecim quos elegit Josue et vocavit ex omni populo, ut portarent duodecim lapides ex alveo Jordanis usque ad castrorum metam, quam in ipsismet duodecim lapidis, ad hoc erectis, ut essent signum, ac testes aeterni, translatam esse arcam federis per Jordanem divisum, adeoque siccis pedibus, Josue IV. a viris illis præfigurati sunt: primo, quia e populo electi sunt a Christo quemadmodum illi a Josue: secundo, quia viri fuerunt, animi virtute ac robore valentissimi; unde in ipsorum persona Paulus ait: *Quis nos separabit a charitate Christi? Rom. VIII. tertio, quia iussit tollere duodecim lapides e Jordanis alveo, id est, omne mortalium genus, qui fluxis mundi aquis tegebantur et in imo gurgitum positi solem nunquam asperxerant: quarto, jussi eos deferre ad castra Christi, id est, Ecclesiam tutissimam mansionem: quinto, jussi, inquam, ferre humeris et sat longo spatio, hoc est, convertere gentes multo labore et sudore. Ita S. Xaverius Japoniæ et Indiæ apostolus, antequam in illas partes tendret, imo ut tenderet divino commonitus viso est: dum in humeros Indum hominem sibi attollere visus est, prægravem quidem illum et permoles-tum, sed cui ad æternam felicitatem ea necessaria gestatio foret, ut est in vita S. Ignatii, libro II. capite XVI. apud Ribaden. Asportavit autem suum quisque lapidem, id est, gentem, ad quam missus fuit: Petrus Syriam, Pontum, Galatiam, Bythiniam et Italiam; Jacobus Major Samariam et Hyrcaniam; Joannes Asiam minorem; Jacobus Minor Jerosolymam; Andreas Scythiam et Achaiam; Philippus Phrygiam; Matthæus Æthiopiam; Simon Ægyptum; Judas Mesopotamiam et una cum Simone Persiden; Bartholomæus Ar-*

CONCIO IX.

meniam; Thomas Indiam aliasque; Matthias Iudeam et extremos Aethiopas.

A lapidibus vero primo, quia erant Ecclesiae fundamenta: secundo, quia durissimi et firmissimi, adversus mundi illecebras et tentationum procellas: tertio, quia in mundi Jordane positi, velut piscatores hominum et rursum in castris extra Jordanem, quia illorum conversatio extra mundum et in celis erat: quarto, quia omnium Christi gestorum testes erant; praesertim resurrectionis ejus, in qua siccō pede Jordanem mortis transit: unde nos commonefaciunt divina misericordiae, bonitatis, etc.

IV. Quem electionis ritum adhibuit? Resp. primo, prius pernoctavit in oratione Dei (seu divina): secundo, cum dies factus esset vocavit ad se quos voluit: tertio, elegit ex eis duodecim: quarto, quorundam nomina mutavit: quinto, elevatis in eos oculis docebat eos: sexto: *Fecit ut essent cum illo*, inquit Sanctus Marcus, id est, ut semper lateri adhacerent. Quibus ceremoniis indicavit sex conditiones necessarias consiliarii principum et senatoriis, quae non mala quadrant illis, quas vidit S. Joannes in triginta quatuor seniorioribus, Apoc. IV.

Primo itaque, pernoctavit in oratione Dominus ante electionem, docens consiliarios devotionem, Dei timori, adeoque orationi addictos esse debere, quo consilia bona a Deo, a quo est omne datum optimum, querant. Sic filii Israel post mortem Jesue consuluerunt Dominum, quis eorum dux futurus esset, Judic. I. Inde in multis amplisque civitatibus moris olim fuit, ut ne senatores et consiliarii in concilium irent, priusquam sacra missa interfuerint officio, ut testantur sacella ad hoc extracta, Aquisgrani, Coloniæ, et alibi. Fecerunt id et gentiles aliqui. Plinio audiamus initio panegyrici: «Bene ac sapienter p. c. ait, maiores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium a prectionibus caperetur, quod nihil rite nihilque providenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspiciantur.» Hoc in viginti quatuor senioribus expressum fuit, cum prociderunt ante thronum et adorarunt viventem in sæcula sæculorum, mitentes coronas suas ante thronum.

Secundo, cum dies factus esset, vocavit ad se, quos voluit, diem electionis discipulorum destinavit, non noctem, quia voluit uti apostolos, ita et consiliarios esse filios lucis, non tenebrarum, hoc est, veritati addictos, mendacio vero infensos. Veritas lucem amat, quia lux veritatem aperit, mendacium tenebras querit. Hinc proverbium: Veritatem aperit dies. Hanc requirit Jethro in Tôysis consiliariis, Exod. XVIII. Viros, scilicet,

in quibus sit veritas: et Joannes, Apoc. V. cum videt viginti quatuor seniores versari circa librum scriptum intus et foris; veritatem enim quam plerumque consiliarii non audent dicere principibus, dicere solent libri. Hinc Alphonsus rex interrogatus quibus consiliariis maxime delectatur: *Libris* respondit, a quibus sine metu, sine gratia, qua nosse cuperet, fideliter audiret, Panorm. lib. III. de rebus Alphons. Ludovicus XI. Galliæ rex aiebat, se in aula omnibus rebus abundare, una excepta: rogatus quænam ea esset: *Veritas* inquit.

Tertio, elegit ex iis duodecim. Cum dicitur elegerisse utique elegit eos, qui probatis moribus et bona fama essent. Ex horum enim fama pendet fama principis, cuius quodammodo pectus sunt consiliarii; ideo viginti quatuor seniores visi sunt in vestimentis albis, morum candorem et innocentiam senatoribus et consiliariis necessariam indicantes.

Quarto, elevatis in eos oculis docebat eos. Debent ergo consiliarii docti et providi esse, rerum experientia et prudentia pollente, adeoque non clausos sed apertos et elevatos oculos habere. Hinc in Apoc. seniores dicuntur illi, quos circa Christum vidit Joannes: *In antiquis enim est sapientia, et in multo tempore prudentia*, Job XII. Vere Carolus V. imp. audita necesse Thomæ Mori, qui vir sapientissimus et Angliæ cancellarius fuit et martyr, dixit: *In Mero Henricus rex octavus totius Anglia caput præcidit*.

Quinto, Petri nomen indidit Simoni, filios Zebædæi appellavit Boanerges, id est, filios tonitru. Ita consiliarii fieri quodammodo a se aliis debent; affectum enim omnem exuere, et magnanimitatem heroicam induere debent, ut sine respectu aut discrimine jus omnibus dicant, sintque velut petræ immutabiles, et in ferenda justitiae sententia filii tonitru. Quam ob causam viginti quatuor seniores habere in capitibus coronas visi sunt, quasi regio animo et libertate prædicti, ut ne obsequuntur cupiditatibus principum, sed libere quod æquum est pronuntient. Ita Fridericus imp. III. rogatus, quos e suis haberet charissimos, respondit: *Eos, qui non mugis me quam Deum timet*. Celebratur etiam hoc nomine Trajanus ethnieus imp. qui magistrum et judicem constituens, illisque de more gladium porrigenus: *Ille*, inquit, *pro me, quamdiu æqua mandavero: sin iniqua, contra me utere*.

Sexto, voluit eos sibi adesse semper a latere: ita consiliarii jugiter adstent principi, et sine eorum consilio nihil agat princeps, quemadmodum viginti quatuor seniores erant in circuitu sedis Christi. Peccarunt in hac re turpiter Nero

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

imp. et Hieronymus Siciliae rex, qui omnia nutu et sensu suo nullis usi consiliariis expedierunt, ideoque ambo misere perierunt. Significatur etiam in hoc fidelitas consiliariis necessaria ut pura intentione reip. salutem querant, et secreta principum servent.

V. Cur vocavit eos apostolos? Resp. primo, ad exprimendam summam eorum dignitatem, quam significat nomen apostoli, id est, legati; cujusmodi nomen et dignitatem habent legati seu nuntii apostolici, quorum nomen non offici tantum sed maxime insuper dignitatis est. Secundo, ad exprimendum eorum officium; quia revera nuntii erant evangeli, quod bonum nuntium significat; ut proinde nuntiarent provinciis, ad quas mittendi erant, fideliter quod ipsi erat injunctum. Tertio, ad continendos eos in humili-

itate, patientia et rerum terrenarum contemptu. Ut enim tabellarii, si prospera annuntient, non sibi id adscribere aut inde extolliri possunt, quia illius prosperitatis non autores, sed nuntii tantum sunt: ita etiam apostoli suum evangelium a Christo acceptum ferebant, non osculabantur manus suas illud afferentes. Denique, ut tabellarii continuo pergendum est ad locum sibi destinatum omnesque tempestates perferendæ: ita apostolorum munus perpetua erat peregrinatio et plurimarum persecutionum, incommodeatum, periculorum tolerantia. Denique, nullib[is] sistere poterant, sed nuntiorum instar semper ulterius pergere debebant: per quod etiam monobrant nihil in mundo concupiscere, quod in alteram vitam secum ferre non possent.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

DOCUMENTA EX PELLE SANCTI BARTHOLOMÆI.

I. Augusta porta et arcta coeli viva est. — II. Pellis et omnia danda pro anima. — III. Expoliandus vetus homo cum actibus suis.

THEMA.

Elegit Bartholomæum. Luc. VI.

Circumferebatur olim evangelium sub nomine Bartholomæi, quod tamen papa Gelasius velut apocryphum rejectum jure meritoque ut habetur, p. I. decret. distinct. XV. cap. Sancta Romana. Ego tamen pace Gelasii arbitror Bartholomæum evangelium scripsisse, et nobis reliquisse, magno nostro bono. Quale vero illud? Utique id ipsum, de quo S. Bartholomæus, teste S. Dionysio Areopagita, in libro de mystica theologia, scripsit: *Evangelium esse latum et magnum, et iterum augustum*. Hujusmodi evangelium, inquam, maximum et minimum, latum et augustum Bartholomæus scripsit: parvum et augustum, mole magnum et latum rerum pondere. Sed qua in charta scripsit? In propria sua pelle. Quo calamo? Cultro carnificis. Quo atramento? Sanguine suo. Justum igitur est, ut hoc evangelium per breve legamus, scriptum in Bartholomæi pelle. Sunt autem tres sententiae S. Scripturae.

I. In eo legimus id Matth. VII. *Quam angusta porta et arcta via est, quæ dicit ad vitam!* Patet hoc Christi verbum ex pelle Bartholomæi. Si enim

nudus ipse et pauper atque iuveniens ad vitam non intravit, quin pellem ipsam perderet; quomodo intrabunt, qui sarcinis onusti sunt opum et peccatorum? Idem videre est in aliis apostolis, qui non nisi per varia supplicia et tribulationes plurimas eo penetrarunt. Hac via, et non alia, etiam omnes alii sancti ad cœlum pervenerunt. Unde Apoc. VII. visuntur *palmæ in manibus eorum*, quia scilicet pugnando victores evadere debuerunt. Quare unus de senioribus cœlitibus ibi, monstrato sanctorum exercitu, interrogat Joannem. *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt?* Qui Joannes: *Domine, tu sis.* Et ille: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine agni.* Ideo sunt ante thronum Dei. Quare sunt ante thronum Dei? Quia scilicet venerunt ex tribulatione magna. Idipsum ostendit Deus S. Perpetua martyri, propter fidem in vinculis detentæ, per visionem, cuius meminit Tertullianus ei contemporaneus, in lib. de anima, cap. LV. et Sanctus Augustinus, I. de anima sub Severo imperatore. Videt enim scalam auream ad cœlum usque perfectam, cultris et gladiis acutis a dextris et sinistris armata, adeo angustam, ut non nisi unus et gracilis quispiam per eam inter gladios ascendere posset. Sub ea draco terrimus et ingens jacebat, quem cuncti ascendere volentes formidabant. Videt porro Satyrum puerum (unum e sociis) per scalam ascendentem, sociosque ut et ipsi sequentur nec draconem formidarent, hortantem. Quam visionem cum ceteris concaptivis recitas-